





MEDITATIONES IN FESTA SANCTORUM SOCIETATIS IESV, ET In novem Prærogativas D. BERNARDI De bono Status Religiosi.



ANTVERPIÆ,
Apud MICHAELEM CNOBBAERT,
M. DC. LXVI,

MEDITATIO DE S. P. N. IGNATIO FUNDATORE SOCIETATIS JESU.

PRIMUM PUNCTUM. *Inveni David filium Iesse.* Olim è mediis ovium gregibus David à Deo evocatus, & populi Israël Rex constitutus. Statuerat Deus Societatem JESU erigere. O quãtæ molis erat tam sanctam condere gentem! quęsivit ergò Ducem, at quàm studiosè? non sic amicus amicum, non sic prodigus patrem offensum, non sic mater filium perditum, ut Deus Ignatium. Quæsitum invenit; sed ubi? Invenit Paulum, dum Ecclesiam persequitur: invenit Augustinum, dum carni

ni ſervit: invenit Ignatium, in medio armorum, dum vulneratur. Domine quid eum vis facere? Ut portet nomen meum coram gentibus, & Regibus, & filijs Iſraël. Ex milite mundi, fit miles Chriſti, & Dux militiæ Dei. Quęſivit te Chriſtus; aſt ubi invenit? in medio Babylonis; ubi te collocavit? ubi milites, ut poſtea regnes. Inventus es, vide ne te iterum perdas, perditum ſe abit, quiſquis pedem revocat.

PUNCTUM II. *Virum ſecundùm cor meum.* Multum eſt apud homines eſſe ſecundùm cor Principis: ſed quantùm eſt eſſe ſecundùm cor Dei? hoc pondera. Non dicit virum ſecundùm cor Angeli, ſed Dei. Teſtantur id divinæ gratiæ animam adornantes, etiam exterius ſe prodentes: tanta multitudo ſe illi ex omni mundi plaga adjungentium, & tanta Sociorum tam brevi tempore diffuſio per orbem. Hæc non ſunt niſi viri ſecundùm cor Dei. Fuiſti aliquando ſecundùm cor diaboli, huic ſancto adjunctus

junctus numero factus es secundùm cor Dei, secundùm cor Ignatij: si vis esse gratus, præbe illi cor tuum.

PUNCTUM III. *Qui faciet omnes voluntates meas.* Multi sunt, qui in hoc vel in isto faciunt voluntatem Dei, rari qui faciant omnes voluntates Dei. Inter hos Ignatius. In omnibus etiam minimis quærebat Dei voluntatem, & ideò se cum Sociis *ad nutum Summi Pontificis obtulit*: ideò in Constitutionibus docet nos *voluntatem nostram divinæ confirmare*; ideò nihil erat quod animum ejus posternere poterat, imò cùm nihil gravius potuisset accidere, quàm Societatem solvi, se paululum interius colligens, haud gravatè tulisset divinâ nitens voluntate: disces experientiâ nil ita sapere quàm beneplacitum divinæ voluntatis.

PUNCTUM IV. *Cùm parvulus esset in oculis suis caput militiæ Dei factus est.* Quàm parvus erat in oculis mundi, cùm è ponte lapsum omnibus ludibrio

erat; quàm parvus erat in oculis mundi, cùm à cohorte militum exceptus vestibus nudatur, pedibus conculcatur, & ut stultus reputatur; quàm parvus erat in oculis mundi, cùm inter pueros rudimenta amplectitur; quàm parvus dum carcere detinetur? parvus erat in oculis mundi, minor in oculis suis, maximus in oculis Dei. Vocatio ejus studium ejus, prudentia ejus, institutum ejus clamant fuisse maximum, sed in oculis Dei. Regula 11. Summarij nos vult esse minimos, nempe in oculis mundi, & haud dubiè erimus maximi in oculis Dei.

PVNCTVM V. Quia parvulus fuit in oculis mundi, nunc magnus est inter Angelos Dei, nunc habet pro paupertate divitias, pro contemptu honorem, pro fame & siti ubertatem Domus Dei. Nunc è cœlo velut specula nos milites suos Dux ipse noster mediâ videt luctantes arenâ: in milite mundi multum facit oculus Ducis, an minus faciet in nobis

nobis oculus S. P. N. *Spectaculum illi facti sumus*, monet exemplo, & juvat oratione : non parum est tantum vitæ Ducem sequi in terris, & tantum patronum experiri in cœlis. Sed nemo cum eo coronabitur, nisi qui legitimè certaverit.

DE

S. IGNATIO.

Antiphona.

Inveni David filium Iesse, virum secundùm cor meum, qui faciet omnes voluntates meas.

℣. Cùm parvulus esses in oculis tuis,

℟. Caput in tribubus Israël factus es.

OREMUS.

DEus qui servum tuum S. IGNATIUM de Militia sæculi saucium

ad ſpiritualis militiæ triumphos evocaſti; præſta quæſumus ut quem Ducem vitæ propter te ſequimur in terris, Patronum apud te ſemper ſentiamus in cœlis. Per Dñm noſtrum.

ORATIO S. IGNATIJ.

SUſcipe Domine Deus univerſam meam libertatem. Accipe memoriã, intellectum, atque voluntatem omnem. Quidquid habeo vel poſſideo, mihi largitus es: id tibi totum reſtituo ac tuæ prorſus voluntati trado gubernandum. Amorem tui ſolum cum gratia tua mihi dones & dives ſum ſatis, nec aliud quidquam ultrà poſco.

MEDITATIO DE S. FRANCISCO XAVERIO SOCIETATIS JESU INDIARUM APOSTOLO.

PRIMVM PVNCTVM. Vas ele-ctionis eſt mihi iſte, &c. Quàm verè electus fuit à DEO, 1. Ad tam ſacrum S. P. N. Ignatij con-ſortium, quod primò irridebat electus à DEO ad Indiam convertendam: ele-ctus à DEO ut judicavit viſum frequens, quomodo ſibi videbatur Indiam hu-meris geſtare, ita ut ex onere è ſomno excitaretur: electus à DEO S. P. N. Ignatio teſte, ut P. Bobadilla ob mor-

bum relicto in Indiam proficisceretur. Tu similiter segregatus à mundo, & electus in numerum istum mille melioribus te relictis vide ut electioni respondeas.

PVNCTVM II. Considera quomodo *S. Xaverius* vas erat in honorem, vas erat virtute plenum, vas quidem fictile, sed cœlestem portans thesaurum ex singulari Dei beneficio virginalis integritatis florem intactum, illibatumque servans, votum castitatis quotidie renovans maximè sub initium meditationis: verè vas electum & Spiritus Sancti tabernaculum, nam corpus etiam integrum repertum postquam vivâ calce longo tempore obrutum fuerat, & quinto mense post mortem sanguinem, & odoriferum reddidit indicẽ sanctimoniæ, & post decimum sextum mensem succi plenum invenitur. O quam pulchra est generatio casta! æmulabor hanc S. P. Xaverij Angelicam secundùm hoc nostrum institutum puritatem,

tem, vota quotidie renovando vel desiderium vovendi.

PVNCTVM III. Ut portet nomen meum coram gentibus, & Regibus, & filiis Israël. Considera quomodo nomē JESV portaverit, & anunciaverit barbaris illis gentibus ignotum: verbo enim, & moribus JESVM professus est: certè si gloriosum est habitu testari se esse ex familia Ducis, balteo profiteri se esse militem Regis, quid est nomen JESV portare coram hominibus? & hoc Angelis testantibus.

PVNCTVM IV. Ego ostendam illi quanta oportet pati pro nomine meo. Ostendit illi quando nimirum somniavit se portare Æthiopem. Demon solet tegere ea quæ pati oportet si illi servimus; Christus non decipit, ostendit quæ pati debeamus, & quidem non pro aliquo Principe mundano, sed pro nomine ipsius. Certè gloriosum erit per totam æternitatem nos aliquid amore ejus passos esse.

PVNCTVM V. Considera quanto desiderio desideravit sanguinem pro fidei defensione profundere: considera quanta passus fuerit nunc in cibo, & potu, nunc in frigore, & nuditate, nunc in ardentibus arenis, nunc se pro aliis ad sanguinem càstigans, nunc à dæmonibus virgis cæsus. Patitur hæc omnia, & pro quo? pro Nomine JESV. Qui sum de Societate JESV conari debeo, ut cum S. Xaverio sim socius in passione, & sim tandem in gloria.

DE S. FRANCISCO XAVERIO.

Antiphona.

Vas electionis est mihi iste ut portet nomen meum coram gentibus, & Regibus, & filiis Israël.

℣. Ego

℣. Ego oſtendam illi,

℟. Quanta oporteat eum pro nomine meo pati.

OREMUS.

DEus qui Euangelium tuum per barbaras gentes & reconditas nationes indefatigabili S. F. Xaverij ſervi tui prædicatione ſeminaſti, & ejus apud eaſdem ſanctitatem mirâ puriſſimi corporis incorruptione declaras, concede propitius, ut cujus recolimus memoriam imitemur & mores. Per Dominum noſtrum. &c.

ORATIO S. F: XAVERIJ.

Pro converſione gentilium, hæreticorum, & peccatorum.

ÆTerne rerum omnium effector Deus, memento abs te animas infide-

infidelium, *hæreticorum*, *& peccatorum* procreatas, easque ad Imaginem & similitudinem tuam conditas. Ecce Domine in opprobrium tuum his ipsis infernus impletur. Memento JESVM dilectum Filium tuum pro illarum salute atrocissimam subiisse necem. Noli, quæso Domine, ultrà permittere, ut Filius tuus, ab infidelibus, *hæreticis & peccatoribus* contemnatur, sed precibus Sanctorum Virorum, & Ecclesiæ sanctissimæ Filij tui Sponsæ placatus, recordare misericordiæ tuæ, & oblitus dololatriæ. infidelitatis, *contumaciæ & malitiæ* eorum, effice, ut ipsi quoque agnoscant, *timeant*, *ac diligant* aliquandò, quem misisti Dominum JESVM Christum, qui est salus, vita, & resurrectio nostra, per quem salvati, & liberati sumus, cui sit gloria per infinita sæcula sæculorum. Amen.

MEDITATIO IN FESTO B. P. FRANCISCI BORGIÆ.

PRIMVM PVNCTVM. Conſidera qualis fuerit Beati Franciſci è familia Ducum oriundi ab ineunte ætate mortificatio, & quòd à decimo anno corpus diſciplinis afflixerit, quas etiam in aula & negotiis ſecularibus continuavit, ubi piam & valdè exemplarem vitam duxit. Compara tuam ætatem & juventutem cum illius moribus & mortificatione, & diſſimilem invenies. Erubeſce, defle, & præteritorum veniam pete.

II. PVNCTVM. Conſ. quænam fuerit occaſio in illo contemptus mundi, & deſiderij perfectioris ſtatus, videlicet, Imperatricis poſt mortem cadaver deforme

deforme & fœtidum; hoc ſpectaculum in ſuiipſius vilitatiſque propriç exactam cognitionem illum deduxit, & tam altas in eo egit radices, ut de perfectioris vitæ ſtatu seriò inceperit cogitare, donec ab aliis impedimentis liber, D. Dei cognoſcens voluntatem in Societatem à S. Patre Ignatio admitteretur, relictis honoribus, Ducatu, divitiis, & omnibus ſæculi commoditatibus. Vide quoties occaſionem habueris, ut in tui devenires cognitionem & D. Dei voluntatem agnoſceres, & quàm fueris in tua vocatione inſtabilis ſæpè, & dubius, & quomodo á D. Deo ad Religionem indignus licet ductus fueris: Gratias age pro hoc beneficio, propone conſtantiam, pete auxilium.

III. PVNCTVM. Conſidera qualem ſe præbuerit in Religione à primo ingreſſus die, quomodo fuerit quaſi lux ſplendens quæ proceſſit & crevit uſque ad perfectam diem, præſertim in humilitate, non alio ſubſcribens nomine

in literis quàm peccatoris, in ſuiipſius contemptum: deinde qualis fuerit in mortificatione aſſidua carnis, ſenſuum, paſſionum, judicij proprij & voluntatis, in obedientia exactiſſima, in paupertate ſumma. Gratias age D. Deo quod tale nobis in illo exemplar reliquerit, inſpice quantum ab ipſius diſtes virtutibus, licet ad eaſdem obligeris. Inquire media ad eas obtinendas, certóque tibi perſuade, te ſine illis ſolo Religioſi nomine gaudere.

I V. PVNCTVM. Conſidera D. Dei cum hôc ſancto liberalitatem, qui adeò brevem ipſius in hac vita contemptum, humilitatem, aliaſque virtutes, magnâ gloriâ compenſando, nomen ipſius adeò in hoc mundo omnibus hominibus innoteſcere fecit; & in futuro ſeculo pro momentanea & levi tribulatione æternum & immenſum illi gloriæ pondus contulit. Et vide quid tibi patiendum & faciendum ſit, ut ad illum terminum pervenias. Aſpira ad Heroï-

carum

carum virtutum exercitium, si magnam hîc D. Dei gratiam, & ibi gloriam consequi cupis. Et D. Deo gratias age quòd tali Sancto Societatem ornare voluerit.

DE

B. P. FRANCISCO BORGIA.

Antiphona.

Hic vir despiciens mundum & terrena triumphans, divitias cœlo condidit ore, manu.

℣. Justum deduxit Dominus per vias rectas,

℟. Et ostendit illi Regnum Dei.

OREMUS.

ADesto Domine supplicationibus nostris quas in B. F. BORGIA Con-

Confessoris tui solemnitate deferimus, ut qui nostrę justitiæ fiduciam non habemus, ejus qui tibi placuit precibus adjuvemur. Per Dñm. nostrum. &c.

ORATIO
B. P. F. BORGIÆ.

Prò dono Perseverantiæ

DOmine JESV cujus misericordiæ non est numerus, tot tantaque cùm exstent tua in me beneficia, novis tamẽ cumulare non cessas; gratiam quam possum habeo, agamque dùm vivam. Nunc te vocantem sponte sequor, & bonis fortunæ omnibus quæ liberali manu donaras me exuo, te ut Cruci affixum nudumque nudus promptiùs imiter. Abjicio libens omnia, modica illa quidem: sed & Regna, atque Imperia si suppeditent, eâdem animi alacritate dimitterem; ut tu probè qui corda

da & renes ſcrutaris noſti. Supplex igitur rogo, obteſtorque ut prodigum illum, filium à longinquis reducem me recipe, & amplectere expanſis ulnis miſericordiæ tuæ. Pateant mihi fores domus tuæ apud Religioſos uni tibi deditos. Unum hoc peto ut inhabitem in domo tua omnibus diebus vitæ meæ. Tu qui lux es, via, veritas, & vita, reſpice me: & qui hanc mihi mentem dediſti, da exitum felicem, Amen.



MEDITATIO IN FESTO B. ALOYSII GONZAGA.

PRIMUM PUNCTUM. Considera indefessum laborem quem B. ALOYSIUS sustinuit, ut se principatu suo abducere posset, Patre id nolente, & impediente omni conatu: quàm multas graves difficultates cum Imperatore aliisque perrupit, idque non alio fine, quàm ut ob D. Dei gloriam, compos Societatis fieri posset. Adora cor adeò D. Deo plenum; & mundano fastu vacuum. Gratias illi age, quod tanti fecerit Societatis JESU institutum: Gaude quod ad illud vocatus sis, & quidem sine difficultate, tanto bono cumulatus, & vide quan-

quanto in pretio debeat esse tua vocatio, pro qua tantopere Angelus iste laboravit. Et magnas D. Deo age gratias, quòd tam insigni personâ, Societatem honoravit, non tantùm coram oculis suis, sed etiam coram oculis mundi, & agnosce quàm cara sit Domino Deo Societatis ista, ad quam Dominus Deus tam selectas mittit personas.

II. PVNCTVM. Considera quàm sanctè B. Aloysius vixerit in mundo, nullo se mortali peccato fœdavit: nullam impuram carnis tentationem sensit: nullam turpem cogitationem, etiam invitus expertus est. Et tamen tam Domino Deo plenus, Deo tam carus, tam à mundi vulneribus liber, mundum fugit? Disce tu mundum execrari, qui tot lethalia vulnera fortè inde extulisti. Ama primò post Dominum Deum loco ejusque gratiam, vocationem tuã, & juxta ejus institutum vive, & peccata in seculo commissa defle amaré, & heroïcis virtutum actionibus, totâ vitâ tuâ

tuâ reliqua frequentatis, D. Deo pro illis ſatisfacere ſtude, ut ubi abundavit delictum, ſuperabundet & gratia, propter majorem gloriam D. Dei.

III. Punctum. Conſidera modos varios quibus carnem ſuam innocentiſſimam Angelus iſte enecabat adhuc in ſeculo. Adora carnem ejus virgineam, oſculare os illud Apoſtolicâ inediâ conſecratum, manum flagellis ſe cruentantem, & vide quàm debeas cum Superiorum licentia pœnas è tua carne ſumere, quæ Domini Dei filium toties ſpiritualiter cruentavit.

IV. Punc. Conſidera vitam B. Aloyſij quoad æquales irreprehenſibilem; quoad Dominum Deum, unione ſeraphicâ ſemper illi immerſum, animam ejus, vix ullo levi peccato maculatam, perpetuis autem ferventiſſimorum operum ſacrificiis plenam, & tanquam tabernaculum quoddam Divinum, D. Deum omni ex parte ſpirans: Corpus nullo motu inordinato, nullo geſtu in-

de-

decenti indecorum, cor ab inordinatis motibus nunquam perturbatum, sed sanctis agitationibus ac desideriis, gratissimum D. Deo emittens odorem suavitatis, nunquam ferè cessantem. Confer te huic ideæ, confundere, defle tuas fæditates, veniam pete, & statue quantopere eum debeas imitari, propter gustum & consolationem Domini tui.

DE
B. ALOYSIO

Antiphona.

Iste quasi flos rosarum in diebus vernis, & quasi lilia quæ sunt in transitu aquæ, & quasi thus redolens in diebus æstatis.

℣. Ego dilecto meo.

℟. Et ad me conversio ejus.

OREMUS

DEus qui Divitias bonitatis tuæ in eximia B. ALOYSII sanctitate mirabi-

rabiliter commendasti, da nobis quæsumus tam illustri Religiosæ vitę exemplo continenter proficere & in tui nominis amore vehementer accendi. Per Dñm nostrum. &c.

ORATIO AD B. ALOYSIUM

Pro dono Castitatis.

O B. Aloysi Angelice, ego humillimus cliens tuus, animi & corporis mei castitatem singulariter tibi commendo, & rogo te per Angelicam puritatem tuam, ut me Jesu Christo, Agno immaculato, ejusque Matri Virginum Virgini commendare digneris, & ab omni graviore peccato custodire. Ne permittas me umquam ullâ impuritatis labe fœdari, sed cùm primùm intentatione & peccandi peri-

periculo constitutum me videris, abige procul à corde meo cogitationes, & affectus omnes immundos, & injectâ memoriâ æternitatis, & Christi crucifixi, imprime mihi medullitus sensum timoris Domini, & divini amoris in me ignem accende.

MEDITATIO IN FESTO B. STANISLAI KOSTKA.

PRIMVM PVNCTVM. Considera quomodo B. *Stanislaus* in sæculo ante ingressum in Societatem, observavit Domini Dei & Ecclesiæ præcepta: nimirum nulla in gravi re est illa transgressus. Tu confer vitam tuam cum vita illius, & agnitâ magnâ diversitate, humilia te, defle peccata tua,

tua, & eo intercessore adhibito, pete à Domino eorum remissionem, & cogita ac apud te statue, quid debeas præstare, ut Dominum tuum reddas placatum, eique satisfacias in Religione pro tot & tantis sæculi peccatis.

II. PVNCT. Considera modum vivendi B. *Stanislai* in sæculo ex lectione uel auditione ejus vitæ agnitum. Quomodo se gesserit in Templo, in schola, in hospitio, in conversatione, in oratione, ad mensam: & factâ reflexione ad tuum præsentem modum in his locis & occasionibus agnosce quantopere te Religiosum, ille adhuc sæcularis superarit, ideoque erubesce, & ab eo pete, ut ita in Religione vivas, quemadmodum ille sæcularis vixit in sæculo.

III. PVNCT. Considera vitam B. *Stanislai* in Societate, quomodo Vota servarit ac Regulas, quomodo ex fervore suo addiderit alia, quæ à Regulis Societatis non erant illi præscripta. Ex altera parte confer vitam tuam in Societate,

tate, quoad obſervationem votorum, Regularum, ac Inſpirationum, quas tibi Dominus Deus communicat, & vide quid in his rebus corrigere debeas, ut placeas D. Deo tuo.

IV. PUNCT. Conſ. ſtatum *B. Staniſlai* duplicem, unum in Eccleſia militante, alterum in Eccleſia triumphante. In Eccleſia militante, quanto ſit in honore ubique, & quidem unus juvenis 19. annis natus, & quidem unus Novitius, idque extra patriam mortuus. In triumphante verò, quibus nunc plenus ſit divitiis, deliciis, honoribus. Gratulare ergò ei hanc duplicem felicitatem, D. Deo gratias age, tanquam auctori utriuſque; denique ab eo pete, tibi ut impetret, quo poſſis feriò & efficaciter vivere ac mori in Religione, juxta Spiritum ejus vivendo, & quàm maxima ad D. Dei gloriam merita ac præmia cumulare.

DE

DE

B. STANISLAO

Antiphona.

Consummatus in brevi explevit tempora multa; placita enim erat Deo anima illius.

℣. Beati immaculati in via,

℟. Qui ambulant in lege Domini.

OREMUS.

DEus qui B. STANISLAVM Confessorem tuum per Angelicas manus sacro Filij tui Corpore satiasti; presta quæsumus ut à te in libro Vitæ adscripti ejus intercessione semper in amore tuo crescamus. Per Dominum nostrum. &c.

ORATIO B. STANISLAI, AD S. BARBARAM,

Pro felici morte.

DEus qui inter cætera potentiæ tuę miracula etiam in ſexu fragili victoriam Maryrij contuliſti, concede propitius, ut intercedente B. BARBARA Virgine & Martyre tuâ, ex hac vita mortali decedentes omnium peccatorum ſordibus per Confeſſionem integram, expiati cœleſti Viatico confortati, ad æternæ ſalutis portum pervenire valeamus. Qui vivis & regnas per omnia ſæcula ſæculorum, Amen.

MEDI-

MEDITATIO IN FESTO BB. PAVLI, IOANNIS, IACOBI, MARTYRUM SOCIETATIS JESU.

Caritas Christi urget nos, pro omnibus enim mortuus est Christus, ut qui vivunt, non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mortuus est, & resurrexit. 2. ad Corinth. 5. cap.

PRIMVM PVNCT. *Charitas Christi urget nos, &c.* Vide quàm perfecta fuerit in eis charitas, perfecta enim charitas foras mittit timorem. Nihil æquè natura amat quàm vitam, charitas Christi in his fecit, ut illam odio haberent; nihil æquè

natura horret ac mortem, perfecta charitas fecit, ut gaudentes irent à conspectu concilij & mortem læti amplecterentur. Confer tua minima quæ pateris cum his maximis, & vide ut qui tantopere times verba, quomodo sustineres verbera. Excita desiderium patiendi aliquid pro Christo.

II. PVNCT. Considera quàm perfecta fuerit in eis charitas, majorem enim charitatem nemo habet quam vt quis animam suam ponat pro amicis suis. Considera quomodo vitam suam posuerint pro Christo, qui pro nobis primò posuit suam; quod facere non est illam perdere, sed in meliorem commutare; & si post hanc vitam nulla superesset alia pro nullo æquè ponenda esset, & pro nullo gloriosiùs poneretur quàm pro Christo; quis ergò non exoptet pro illo eam ponere, cum hoc modo mors non sit nisi transitus ad vitam sempiternam?

III. PVNCT. Considera te posse fieri

Martyrem, & ſpirituale martyrium ſubire, quia ut dicit D. Thom. 2. 2. q. 124. art. 4. & Sancti PP. poſſumus nos ipſos vincere in paſſionibus, & affectibus; quod facere martyrium eſt ſpirituale. Quare examina & conſidera quomodo martyr fieri poſſis ſecundùm ſententiam Divi Gregorij Hom. 35. in Euang. *Mori à perſequente martyrium in aperto opere eſt, ferre verò contumelias, odientes diligere, martyrium eſt in occulta cogitatione.*

IV. PVNCT. Conſidera quod multi in prælio defecerunt, & coronam martyrij inconſtantiâ; & tyrannos nimium pertimeſcendo perdiderunt.

Conſidera quàm verus ſit tyrannus, timor inanis, qui dicit: Quid dicent homines ſi hoc vel illud feceris? quàm multis hic tyrannus extorquet è manibus ſpiritualis martyrij coronam? ſed ſupera tyrannum, & dic ſi non fecero, quid dicet Angelus Cuſtos? quid dicet B. Virgo? quid dicet Chriſtus? Nemo

enim coronatur, nisi qui legitimè certaverit, & usque in finem perseveraverit.

DE
III. MARTYRIBUS
SOCIETATIS.

Antiphona.

Isti sunt qui venerunt ex magna tribulatione, & laverunt stolas suas in sanguine Agni.

℣. Lætamini in Domino & exultate Justi,

℟. Et gloriamini omnes Recti corde.

OREMUS.

DEus qui nos SS. Martyrum tuorum Pauli, Joannis, & Jacobi commemoratione lætificas; concede pro-

propitius, ut quorum gaudemus meritis accendamur exemplis. Per Dominum noſtrum. &c.

ORATIO
B. PAULI MIKI
SOCIETATIS JESV.
Ad Martyrium properantis.

O Bone Deus! quàm lætor quod triginta & tres annos natus eâ ætate mihi mori liceat quâ Filius tuus JESVS (cujus ego Societati indignus licet adſcriptus ſum) remedium noſtræ ſalutis eſt operatus; quod eâ ipsâ feriâ vinctus ſum, quâ & Chriſtus; quod denique eâdem feriâ ſextâ mihi mori pro JESV liceat, quâ JESVS meus pro mea ſalute mortuus eſt. Gratias tibi ago, quod tantâ gratiâ me ſis dignatus, & exulto vehementer quod vel tantilla in re

Dominum meum JESVM, tanta meâ causâ perpessum imitari mihi, quamquam immerenti, liceat ac tandem per Martyrij dignitatem ad Cœlum evolare.



NOVEM PRÆROGATIVÆ STATUS RELIGIOSI EX S. BERNARDO

Cogitet vocationem ad Religionem viam ad cœlum esse optimam, quia in Religione Homo vivit purius, cadit rarius, surgit velocius, incedit cautius, irroratur, frequentius, quiescit securius, moritur confidentius, purgatur citius, remuneratur copiosius, Ita Bernardus.

I. *Vivit purius.*

QUæ est magna prærogativa status Religiosi, nam soli mundo corde Deum videbunt, soli illi ascendent in

in montem Domini, & ſtabunt in loco ſancto ejus: & nihil coinquinatum intrabit in regnum cœlorum.

Conſidera rationes hujus veritatis. 1. Ratio eſt, quia via Religionis eſt regularis ſemita, complanata majorum inſtitutis, & exemplis probatiſſimis ſecundum medullam Euangelij via minimè lutoſa, viæ ejus, viæ pulchræ, & omnes ſemitæ ejus pacificæ. 2. Quia ibi remedia plurima purgantia mentem, continua pœnitentia, & mortificatio, frequens confeſſio, examinatio, manifeſtatio conſcientiæ, vigilantia Superiorum, admonitiones, & reprehenſiones. 3. Nullæ ibi ad impuritatem occaſiones, ad puritatem autem multæ, cuſtodia ſenſuum, clauſura, meditationes, exhortationes, colloquia ſilentium.

Conſidera 2. Pacem, & lætitiam interioris hominis ex hac vitæ puritate, non eſt oblectamentum ſuper cordis gaudium, talis anima audet invitare ſponſum

ſponſum qui paſcitur inter lilia, converſatio ejus cum Angelis eſt.

Itaque in Religione homo vivit purius, 1. Propter puritatem carnis Deo dovotam, 2. Propter puritatem mentis à peccatis gravioribus, 3. Propter puritatem intentionis quâ majorem Dei gloriam, & animæ ſuæ ac proximorum ſalutem in omnibus quærit. Si oculus tuus fuerit ſimplex totum corpus lucidum erit.

II. Cadit rarius

PAx multa diligentibus legem tuam Domine, & non eſt illis ſcandalum, nec offendunt ad lapides pedes ſuos: occaſiones peccandi ſunt lapides, offenſiones ſunt ſcandala.

Conſidera rationes hujus veritatis. 1. Ratio eſt, Religioſus ambulando nititur baculo obedientiæ, quæ facit, ut tutò figat pedes. 2. Dirigitur à Regula communi, & officij, quæ facit ut

non declinet ad dexteram, neque ad ſiniſtram. 3. Tenetur exemplis quæ ſunt in circuitu ejus. 4. Sunt & viæ Duces qui ſunt Superiores à quibus regitur. Qui cum ſapiente graditur, ſapiens erit, frater qui adjuvatur à fratre, quaſi civitas firma non ſubvertetur, meliùs eſt duos ſimul eſſe quàm unum, habent enim emolumentum Societatis ſuæ. Si unus ceciderit, ab altero fulcietur.

Conſ. 2. In mundo contraria omnia, via lubrica, pedes ambulantium infirmi, debiles, ad lapſum proni, ſocij impellentes ac providẽtes ſcandala plurima, ſive occaſiones peccandi. Quapropter Religioſus cadit rarius, 1. Propter rariora offendicula, in quę impingat & rariores dęmonũ laqueos per tria Vota reſectos. 2. Propter exempla ſociorum in circuitu, & Regulas Religionis quibus continetur, ne declinet ad dexteram vel ſiniſtram. 3. Propter adminicula Superiorum & Confeſſario-

rum

rum à quibus ſuſtentatur ne cadat.

III. *Surgit velocius.*

IUſtus cùm ceciderit non collidetur quia Dominus ſupponit manum ſuã: impulſus, everſus ſum ut caderem, & Dominus ſuſcepit me, quoniam tu es ſuſceptor meus Domine,

Conſ. Dei bonitatem & eorum felicitatem qui quando cadunt, cadunt in manus Domini, non enim qui cadunt in via Dei, cadunt quaſi de ponte ſub quo regidiſſimus & profundiſſimus eſt fluvius, aut de alta turri ſub qua lutum & ſaxa, ſed religioſa diſciplina ſuppeditat ad cito ſurgendum media & auxilia. 1. Confeſſarij & Patres ſpirituales in promptu ſunt ad quos confugiat. 2. Vigilantia Superiorum. 3. Monita, conſilia, exempla fratrum. 4. Internus pudor, remorſus & teneritudo conſcientiæ. 5. Regula de manifeſtandis ſuis tentationibus, & de reddenda ratio-

tione conſcientiæ. 6. Conſuetudo ſæpè confitendi, & communicandi, quæ nullo modo patiuntur religioſum in aliquo delicto permanere.

Conſ. contraria omnia in ſæculari vita: cæcus ſi cæco ducatum præſtiterit, ambo in foveam cadunt: væ ſoli, quia cùm ceciderit, non habet ſublevantem ſe. Impius cùm in profundum venerit peccatorum contemnit monentem ſe ad emendationem, & omnia remedia ſpernit, irridet, & ideò non adijciet ut reſurgat. Imò lætantur cùm malè fecerint, & exultant in rebus peſſimis, & prædicant peccata ſua; ſicuti Sodoma, intuentur frontem meritricis non erubeſcunt. Qualis ergò ſperari poteſt emendatio, ubi peccare glorioſum eſt?

In Religione verò ſurgit velocius. 1. Quia lapſus ordinariè non ſunt niſi veniales multis modis expiabiles. 2. Quia uſum Sacramentorum habet frequentiorem. 3. Quia Angelica & Divina ſubſidia ei ſunt promptiora .

IV. Incedit cautius.

SCimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum: nónne cooperatur casus ille nobis in bonum, unde & humiliores efficimur, & cautiores? nónne Deus cadentem illum suscipit, qui ab humilitate suscipitur? qui cadens suscipitur à Domino, fortior resurgit, & circumspectior.

Cons. quantum religio juvet ad hanc cautionem, & emendationem. 1. Quia religiosa disciplina non sinit quempiam impunè peccare, pœnitentia autem est bona peccati compensatio. 2. In Religione lux est cùm sint in Ægypto sæculi tenebræ; in illa autem luce videt homo lapidem in quem impegerat, & fossam, in quam ceciderat, & cavet deinceps, videt etiam peccati admissi turpitudinem, & horret magis Dei offensam, & timet. Docet quoque Religio per ejusmodi lapsus nosse diabolicas

cas fraudes & insidias, & quibus antidotis præcaveri possint.

Conſ. scripturam commendantem hanc cautam ambulationem; qui cavet laqueos securus erit: frustra jacitur rete ante oculos pennatorum. Religiosi pennati, & oculati, oculi sapientis in capite ejus, ut videat ubi pedem figat. Stultus in tenebris ambulat, nescit quo vadat Cogitavi vias meas, advertens autem me non rectè ambulare converti pedes meos in testimonia tua: dum vivimus, ambulavimus inter prospera & adversa, utrimque foveæ, sed profundiores in prosperis.

Inter quę Religiosus incedit cautius. 1. Quia mentem habet à Deo magis illuminatam. 2. Quia omnes ferè lapsus in Religione per regulas prohibentur, & per pœnitentias corriguntur, 3. Quia Superiores ac socios habet assiduos spectatores suarum actionum. Spectaculum facti sumus mundo & Angelis & hominibus.

V. *Irroratur frequentius consolatione spirituali.*

QUàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te!

Considera cur res ista sæpius cadat in Religiosos quàm in sæculares. 1. Quia per abnegationem sui, & contemptum sæculi, non accipiunt consolationem de temporalibus, ideò justum videtur ut habeant de cœlestibus. Renuit, inquit, consolari anima mea in transitoriis, memor fui Dei, & delectatus sum. Væ vobis divites qui habetis consolationem vestram. 2. Quia Religiosi se totos Deo dicarunt in servos, & dicunt affectu: Quid mihi est in cœlo? & à te quid volui super terram Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternũ? mihi adhærere Deo bonum est, ponere in Deo meo spem meam. Deus autem pluviam voluntariam de rore cœli segre-

gregavit hæreditati ſuæ. 3. Quia pugnant, & vincunt, & dominantur affe-ctibus, de talibus autem dicit Dominus: vincenti dabo manna abſconditum. 4. Anima Religioſi per votum eſt deſponſata Chriſto, qualis illa quæ loquitur in Canticis. Introduxit me Rex in cellam vinariam. Denique ſpiritu vivunt, & ambulant, ut ſpirituales, ſpiritus autem meus ſuper mel dulcis, hæreditas mea ſuper mel & favum, qui edent me adhuc eſurient.

Conſidera multa eſſe in Religione quæ cogitata ſolummodo, & oculo mentis inſpecta, magno gaudio replent animam. 1. Teſtimonium ſancti Spiritus, quod perhibet in conſcientia ſpiritui noſtro quod ſcimus Filij Dei. 2. Signa prædeſtinationis certiſſima, qualia ſunt vocatio, juſtificatio ſeu progreſſio ſemper in melius, & continuum deſiderium amplioris gratiæ, demum continuus zelus honoris Dei, deſiderium ſalvandi animas Chriſti Sanguine redemptas.

demptas. 3. Verbum Apoſtoli: Ecce nos reliquimus omnia, cum promiſſione Domini de centuplo quod non eſt aliud quàm irroratio cœleſtis, & conſolatio de ſuperna gloria filiorum Dei. 4. Delectat paupertas voluntaria, caſtitas, obedientia, quæ continent imitationem Chriſti, & reddunt nos illi conformes, & induunt iiſdem veſtibus, ac inſignibus. 5. Denique ſemita vitæ religioſæ quaſi per florida prata, per amœna ſata, per medias vineas juxta rivulos aquarum, & umbroſa memora, nam viæ Domini viæ pulchræ, planæ, rectæ. jucundæ, ſecuræ. Bonum eſt nobis hic eſſe, cùm ait Bernardus: Non modò fructuoſius, ſed etiam jucundius, non modò ſalubrius, ſed etiam ſuavius Deo, quàm mundo ſervitur, neque decipere voluit qui dixit: Jugum meum ſuave eſt.

In Religione potiſſimum inveniuntur illa de quibus Iſaias cap. 32. Confidit populus meus in pulchritudine

pacis

pacis, in tabernaculis fiduciæ, in requie opulenta. Audite audientes me, dicit Dominus, & commedite bonum & delectabitur in craſſitudine anima veſtra.

Sic itaque irroratur frequentius. 1. Propter frequentia exercitia ſpiritualia, orationis mentalis & vocalis ſacrificij Miſſæ, & Communionis in quibus ſępius cœleſti luce illuſtatur. 2. Propter ſpreta ſolatia terrena in quorum locum cœleſtia uberius percipit etiam in mediis pœnitentiis ac mortificationibus. 3. Propter frequens exercitium omnis virtutis.

VI. *Quieſcit ſecurius.*

IN pace in idipſum dormiam, & requieſcam, quoniam tu Domine in ſpe ſingulariter coſtituiſti me.

Conſidera veritatem hanc in Religione. 1. Ratio ſæcuræ mentis eſt ſpes firma ſalutis, ſpes autem ubi poteſt eſſe ſolidior quàm in conſilio juſtorum & con-

congregatione; si non manserit in tabernaculo tuo injustitia, tunc levare poteris faciem tuam & non timebis, & habebis fiduciam, & propositâ tibi spe requiesces, & non erit qui te exterreat, & defessus securus dormies. 2. In Religione de temporalibus nulla cura, nulla solicitudo, nulla contentio, præcisa radix omnis inquietudinis, cupiditas caret omni invidiâ passivâ, quia nihil habet activa, quia nihil vult habere. 4. Anchoram figit in cœlo, non metuit fluctus maris, quoniam tu es Domine spes mea, Dominus illuminatio mea & salus mea quem timebo? Dominus protector vitæ meæ à quo trepidabo? si Deus pro nobis quis contra nos? pone me juxta te, dicebat Job, & cujusvis manus pugnet contra me.

Religiosus ergò quiescit securius. 1. Quia solutus est curâ temporali de rebus terrenis, quæ & conserventur, & augeantur velut spinæ animum cruciant, nec sinunt quiescere. 2. Quia minus

nus certamen habet cum mundo quem deseruit, & carne quam crucifixit cum vitiis & concupiscentiis. 3. Quia summâ fruitur pace conscientiæ secura mens quali juge convivium.

VII. Moritur confidentius.

Christus tristantibus amicis dicit moriturus, si diligeretis me gauderetis utique quia vado ad Patrem.

Considera quàm verè præstet hoc religio: Religiosus mortuus sibi, carni, mundo, soli vivit Deo, quare credit se partem habere in verbo Christi, volo Pater, ut ubi ego sum, illic sit & minister meus: neque timet audire, Vade ad Deos alienos quibus credidisti, quod audient multi qui carni, & mundo se manciparunt. 1. Religiosa vita est via illa angusta de qua Dominus in Euangelio, qui de via non dubitat, de vita bene sperare potest. 2. Religiosi vivunt in hoc mundo sicut exulantes pe-

regrini, nihil habentes, ideo morituri gaudent tanquam ad patriam, & thesaurum ituri ad locum in quem omnia præmiserunt, illorum est illud Apostoli, scimus quia si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod ædificationem ex Deo habemus, domum non manu factam, sed æternam in Cœlis.

Considera 1. quantum bonum, in articulo mortis esse securum, non timere, confidenter exire de mundo, quando mundani sunt in maximis angustiis, nullam habentes in cœlo notitiam, nullam spem in meritis, nullam ex amore confidentiam. Moriatur, inquit impius, anima mea morte justorum, & fiant novissima mea horum similia, videbat enim in spiritu prophetiæ, justorum mortem Domino optabilem, quorum tamen vitam imitari nolebat

Justorum, id est Religiosorum, nam in Religione homo moritur confiden-

tius. 1. Propter Christi promissa vade & vende omnia quæ habes, & habebis thesaurum in Cœlo. 2. Propter regulam infallibilem qui bene vivit bene moritur. 3. Propter plenariam in morte Indulgentiam, & sociorum sacrificia ac preces.

VIII. Purgatur citius.

QUia continuâ mortificatione ferè totum abstersit in vita, si non dijudicaremus, non utique dijudicaremur: uniuscujusque opus quod super ædificavit supra fundamentum fidei ignis probabit.

Considera 1. Religionem esse Baptismum & purgatorium, illud in ingressu, istud in progressu, frequentes in ea Indulgentiæ ex thesauro meritorum Christi actuando fidem circa eas. 2. Pœnitentia quâ redimitur pœna Purgatorij modico labore ac si quis parvâ pecuniâ solvat magna debita.

Præterea

Præterea etiam in vita à peccatis Religiosus purgatur citius. 1. Propter examen conscientiæ quotidianum generale & particulare: quo in lapsus suos inquirit, dolet, & emendationem proponit. 2. Propter frequentiorem usum Sacramentorum Confessionis ac Communionis. 3. Propter frequentem usum pœnitentiarum; quibus tum ultro susceptis, tum à Superiore impositis culpas suas hic expiat.

IX. *Remuneratur copiosius.*

VAde, vende omnia quæ habes & da pauperibus, & veni sequere me, & habebis thesaurum in Cœlo, ait Christus in Euangelio.

Considera thesaurum hunc qui promittitur Religiosis. Alibi dicit Dominus thesaurum absconditum in agro, qui non emitur nisi venditis omnibus, similiter vocatur Margarita pretiosa. Status religiosus opportunissimus ad the-

theſauriſandum in cœlo, propter obedientiæ continuum exercitium. In agro Religionis ſementem facimus, in cælo metemus. Ex modico ſemine magna meſſis, modicũ inquit, laboravi, & inveni mihi magnã requiem. In toto Euangelio non eſt amplior promiſſio quàm quæ fit Religioſis. Amen dico vobis quod vos qui reliquiſtis omnia, centuplum accipietis, & vitam æternam poſſidebitis.

Itaque verè remuneratur copioſius 1. Propter continuum exercitium bonorum operum, & obedientiæ qui ſeminat in benedictionibus de benedictionibus & metet. 2. Propter præmia etiam accidentialia Religioſis maximè competentia, nempe aureolas Martyrum, Doctorum, & Virginum. 3. Propter judiciariam poteſtatem in alios à Chriſto promiſſam, ſedebitis & vos, &c.

FINIS.





